



Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

22. Dies Maii. Expedit am imo surgere, quàm ex alto cadere. S. August.
Epist. 89.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

22. DIES MAII.

Expedit ab imo surgere, quàm ex alto
cadere. *S. August. Epist. 89.*

Quod est flos I.
in horto, hoc
est homo in
mundo.

Proponam tibi hodie homi-
nem primò cadentem ex alto,
deinde resurgentem ex imo :
mane triticum, vesperi ziza-
nium : manè pudicitia lili-
um : mane speciosum florem,
quor foliis totidem
veluti labiis haurientem cœli rorem,
vesperi, aridum
fœnum ; dignum mitti in clibanum. Ille est David,
vir secundùm cor Dei, postea tam excors, ut eiecerit
è corde Deum. In hoc puncto proponam illum ma-
nè, in altero meridiè, in postremo vesperi, semper sui
dissimilè. Videtur hæc non tam de alio dixisse, quàm
de se prædixisse, dum ita cecinit : (a) *Manè sicut herba
transeat, manè floreat, vespere decidat.* Ipse indubiè, cū
manè evigilasset, mentem ad Deum sustulerat, nec
aurora cælū prius colorare cœperat, quàm ille mentè
Divinâ luce ornavisset, ut illa confirmant. (b) *Deus,
Deus meus, ad te de luce vigilo.* Imò ardorem concepe-
rat animo, pietatis indicè, pignus sanctimonix, divinæ
legis tuendæ, ac religiosissimè observandæ. Sic ipse
velut in formosissimo Majo versicolor flosculus erū-
pens, pudicitiam rosæ, innocentiam lilii, modestiam
violæ, aliaque, aliorum florum decora spectanda ex-
hibe-

(a) *Psal. 89, 6.* (b) *Ibidem.*

hibebat. Talis erat manè. sicut flores pubescunt summo mane, pulcherrimis suis gemmis, & calycibus adornati existunt.

II. Sub meridiem David collocat se in lectulo eburneis fulcris, aureâque spondâ insigni, stragulo viridi pulcherrimè operto, in quo, somno insititio diffindere diem solebat. Post quietem, abit in solarium domus Regiæ, liberiore jam animo, ablegatâ sui custodiâ, & exclusis piis cogitationibus, quibus antea fretus, (a) *perambulabat in innocentia cordis sui, in medio domus suæ.* & illic spatiatur. Dum in omnem partem utramque oculorum aciem circumfert, videt in adversæ domus hypetio lavantem se mulierem, cujus fuit eximia oris pulchritudo, quæque facile lenocinantibus forme illecebris negligentem sui animum trahere potuisset. Hæret primùm in eo spectaculo curiosè, & libens, animumque adjicit, mox titillatur, & oculis bibit amorem. Cupidinis ardor in cor intromissus jam latè spargit incendium, ventilat per præcordia faces. Hinc dum oculus videt, animus ardet. Quid vis Philosophe, & tanquam irrefragibile axioma jactitas illud: *Non datur actio in distans, sine medio?* illa distabat à Davide, & tamen quid non agebat in Davidem? Sic distans in cor Davidis, medias inter aquas jaculatur flammæ. Illa igitur mens, nunc verè amens, quia amans, divinis prius splendoribus conspicua, nunc cæca, nihil videbat honesti, quæ jam omnem spernebat honestatem.

III. Sequitur tempus vespertinum, de quo ipse: *Vespere decidat.* Jam magni illius Herois anima non habitabat domi, sed tota erit cum Bersabeâ, jam sua-

(a) *Psa.* 100.2.

viabatur amiculum, jam blanditiis deliniebat, quasi nunquam de Dei præsentia, de scelerum fœditate, de labe conscientia, de divinis judiciis cogitasset. Descendit de solario, jubet inquiri, quæ sit illa mulier; dicunt esse Bersabeam, Uriæ uxorem. Hic novus animo tumultus, nova pugna, in qua semper vincit libido, & refert manubias, ac figit trophæa. Ante noctem evocari illam jubet, & indigno flagitio se polluit, & contaminat. Verè se ipse in sacris odibus expressit, *vespere decidat, & arescat*. Ubi, ô David est illa vigilantia, & pii animi cura, qua in tui custodiam intentus, ita Deum alloquebaris: (a) *Averte oculos meos ne videant vanitatem? Oculi tui tibi tuere laquei, illis captus es.* Ubi illud heroicum propositum. (b) *Dixi custodiam vias meas? Turpiter nimis deviasisti à via vitæ. Hæc nos flosculi evanidi, fragiles, ephemeri, qui manè floremus, in meridie languemus, vesperi aremus. Sic David florebat oriente lucifero, exaruit veniente Hespero: manè vas ad gloriam, vesperi vas ad contumeliam: manè velut Seraphinus in cælo, vesperi velut Scarabæus in cæno. Agnosce hîc, ô homo caducam animi imbecillitatem, innatam voluntati volubilitatem, & nunquam satis deplorandam fragilitatem. Denique insidiat illud animo certum, tanquam Sybillæ folium;*

*Est hominum status per florem significatus:
Ut vere perit, sic homo pulvis erit.*

23. DIES MAIL.

Ruina quæ fit in occulto, præcedit ruina quæ fit in manifesto. S. August. de civit. l. 14. c. 13.

(a) Psal. 118. (b) Psal. 118.